

CORPUS  
SCRIPTORUM HISTORIAE  
BYZANTINAE.

EDITIO EMENDATOR ET COPIOSIOR,

CONSILIO

B. G. NIEBUHRII C. F.

INSTITUTA,

OPERA

EIUSDEM NIEBUHRII, IMM. BEKKERI, L. SCHOPENI, G. ET  
L. DINDORFIORUM ALIORUMQUE PHILOLOGORUM  
PARATA.



PARS XI.

LEO DIACONUS.

VARI LIBELLI QUI NICEPHORI PHOCÆ ET IOANNIS  
TZIMISCIS HISTORIAM ILLUSTRANT.

---

BONNAE  
IMPENSIS E.D. WEBERI  
MDCCCXXVIII.

---

# EXCERPTA EX HISTORIIS ARABUM

## DE EXPEDITIONIBUS SYRIACIS

### NICEPHORI PHOCAE ET IOANNIS TZIMISCIS.

---

*Christianus Lassenius Phil. Dr. lectoribus S. P. D.*

Rogavit me Vir illustris, *Niebuhrius*, ut ad novam, quae mox prodibit, Leonis Diaconi editionem adornandam ex Arabicis libris, quorum consulendorum in hac urbe mihi facultas data es-  
set, excerptem quae ad res ab imperatoribus Nicephoro Phoca et Ioanne Tzimisce in oriente gestas illustrandas farent. Quam occasionem ad istorum temporum historiam perspiciendam ali-  
quid ex orientalibus fontibus conferendi propter summi viri apud  
me auctoritatem et insignem erga me benevolentiam libentissime  
arripui. Diligenter igitur qui mihi praesto essent historiae orientalis scriptores perlegi, ex quibus quae excerpti, hoc ordine  
disposui.

Primo loco exhibui excerpta ex Abulpharagii sive Barhe-  
braei Chronico Syriaco, quod quadraginta abhinc annis publici iu-  
ris fecerunt V. V. D. D. *P. I. Bruns*, professor Helmstadiensis,  
et *G. G. Kirsch*, rector Hofensis. Auctor Chronicus medicus fuit  
Melitenensis, religione Christianus; historiam universalem a  
creatione mundi usque ad finem saeculi decimi tertii summatim  
et breviter exposuit libro, qui minime est contemmendus, dum  
copiosiores et accuratiiores Orientalis historiae commentarii, Ara-  
bica maximam partem conscripti lingua, scrinis sepulti et cu-  
riosorum oculis detracti iacent. In libro, de quo h. l. dicitur,  
componendo lingua usus est Abulpharagius (in ceteris fere Ara-  
bice loquitur) Syriaca, cuius quam prorsus sim ignarus, de in-

terpretatione nullum penes me est iudicium, quanquam comparet, adeo verborum tenaces fuisse interpretes, ut sermone pa- rum Latino usi sint; attamen difficile sane est, ingenio lingua- rum Orientalium accommodare Latinam et saepenumero vareor, ne idem quod mox in aliis castigabam, alii in me castigatur sint.

Abulpharagium excipiunt excerpta ex annalibus Abulfedae, a *Reiskio* Latine redditis et post mortem viri doctissimi et linguas Arabicae apprime periti Arabice et Latine editis ab *I. G. C. Adler*, professore Hafniensi. Notus est auctor neque instituta de eo dis- putatione tempus obsidebo lectoris. Ex notis Reiskianis eas tan- tum retinui, quae rebus dilucidandis inservirent, ceteris, quae hoc non facerent, omissis.

Ex Elmacini historia Saracenica quae excerpseram, omnino omisi, quum comparatione facta vidi sem, nil fere ab eo memo- riae proditum fuisse, quod non copiosius et melius iam traditum sit ab Abulpharagio et Abulfeda.

Ultimo denique loco Latine interpretatus sum partem libelli, ante hos octo annos editi a V. clariss. *G. W. Freitagio*, lingg. Orientt. in hac Academia prof. publ. ordin., quem linguae Arabicae praceptorum ipse veneror, hoc sub titulo: *Regierung des Saahd-Addaula zu Aleppo. Aus einer Arabischen Handschrift herausgegeben von G. W. Freitag. Textus Arabicus, qui heic pri- mum typis exscriptus est, excerptus est e codice Arabico Pa- risienai, cuius partem iam antea publici iuris fecerat idem vir doctus, hoc indice: Selecta ex historia Halebi; ed. G. W. Frei- tag. Lutetiae Parisiorum. 1819.* Praemissa est copiosa et bo- nae frugis plena editeris praefatio, in qua de auctoris vita et fide libro eius habenda accurate disputatum est; brevibus igitur h. l. rem expedire possum. Natus est auctor anno Arabum 588 Halebi; nomen ei fuit Ohmaro ben - Ahmed, designatur autem plerumque cognomine Cemaleddiui (l. l. p. XXXVI). Vir fuit rarae doctrinae, eximiae prudentiae, ad res agendas natus atque aptus, summisque honoribus a principibus suis ornatus; diem obiit supremum anno 660 Mizri, oppido Aegyptiaco. Historiam Halebi inde a primis urbis initii diligenter et accurate, puro et simplici dicendi genere usus, memoriae mandavit, veritatis prae ceteris studiosus; qua de re iudicent lectores ipsi, si excerpta

ex annalibus eius Halebensibus cum scriptoribus rerum Byzantinarum comparare velint.

Excerpta ex quovis auctore separatim exhibui, hoc potissimum consilio, ut facilius intelligeret lector, quae de quaque re gesta quisque tradat. A notis supervacuis addendis manus abstinui; minime enim iatus sum, hunc mihi datum esse locum, ut cognitionem litterarum Orientalium qualemcumque probarem, neque ullam cum scriptoribus historiae Byzantinae comparationem institui, quippe quod fines provinciae mihi demandatae excederet.

Restat, ut tribus verbis dicam de Seifeddaula, domino Halebi, patre Saahd-addaulae, cuius saepius in hisce excerptis mentio facta est. Oriundus is fuit ex nobili familia Hamdanidarum, cui nomen inditum est ab auctore, Hamdano, avo Seifeddaulae. Post varia fata annis denique 333 et 334, qui incident in annos p. Chr. n. 944 et 945, Halebi eiusque ditione potitus est Seifeddaula, ibique regnum suum stabilivit. (Cf. Abulf. Tom. II, p. 435. Select. ex hist. Hal. p. 37 seqq. cf. edit. not. ad h. l.) Saepius regiones Graecorum lacescivit susceptis expeditiobibus, quas longius persequi ab hoc loco alienum foret. (Abulf. l. l. p. 457; 461; 467. Elmac. p. 275; p. 477 seqq. p. 286 seqq. Abulphar. p. 195 seq.) Mortuus est anno 356. (Abulf. p. 493. Sel. ex hist. Hal. p. 138. Elmac. p. 280.)

Mentionem Seifeddaulae iniecit Leo (libr. II, cap. 1 — 5.) sub nomine Chambdani, i. e. Hamdani, quod non ipsi, sed avo nomen fuit. Ad expeditionem, de qua l. l. dicit Leo, referendum est excerptum ex Abulpharagio, quod statim ab initio exhibui; eandem expeditionem memorant Abulfeda et Cemaleddinus, quorum verba h. l. legere haud gravabitur lector.

Cemaleddinus p. 134: „Anno 348 vel 349 Seifeddaula regiones Graecorum invasit. Quum, multis incolarum occisis, multisque captis, praeda potitus, per angustias Magharae-Alcohl redire animo haberet et versus eas iter flecteret, Leoni filio Phocae domestico, qui ad illas ipsum praecesserat, occurrit. Praelio ibi commisso Seifeddaula vincitur. Hostes Muhammedanis praedam captam eripiunt, thesauro impedimentisque Seifeddaulae potiuntur. Multi in hoc praelio vitam amittunt, et Abu-Ferasus Alharet-sus ben-Sahid ben-Hamdan captivus factus, ab hostibus Car-

shanam ducitur. Inde Constantinopolin missum anno 354 patricius, quos captivos fecerat, datis, Seifeddaula cum cum aliis redimit."

Abulfeda Tom. II, p. 469: „Eodem anno (i. e. anno fugae 349, qui 2 Martii A. C. 960 coepit) impetebat Seifeddaula Hamdanides Romanam ditionem nova incursione, ingente cum exercitu; subi-gebat urbes et arces, urebat, vastabat, trucidabat homines, pecora et homines abigebat, Charsianum \*) usque procedebat. Sed reddituro domum intercipiebant Graeci viam per pylas, eaque ratione non tantum sua recuperabant omnia, etiam hostis potiebantur impedimentis, et quam passi fuerant, iacturam tanta compensabant in Seifeddaulae copias edita strage, ut ipse vix cum trecentis salyus evaderet. Id futurum praeviderant rerum bellicarum istorumque locorum usu periti, suaserantque propterea Hamdanidae, nollet via, quaisset, eadem redire. Ille vero spreverat consilium, vir solus sibi sapiens, monitoribus asper, qui omnia per se, nemine consulto, gerere volebat, ne, si quid rei prospere succederet, id consiliariorum sapientiae, non suae, imputaretur.”

Dabam Bonnae ad Rhenum die 23 Iunii.

## I. EX GREGORII ABULPHARAGII CHRONICO SYRIACO.

(Cf. ed. Brunii et Kirschii p. 197 sqq.)

Eo anno (Arabum 348) qui Graecorum est 1272, mortuo rege Constantino, regnare coepit filius eius Romanus, qui senatum virosque principes multum honoravit, erga omnes autem magnanimus fuit. Eo anno Iones, qui etiam Schumuschchig, dux exercitus, et Nicephorus, domesticus, missi ab eo in Arabum fines, progressi sunt usque ad Abiram, unde, occisis 100 militibus, et incensis frugibus, cum triginta captivis abierunt. Siphoddaula, Halebi Emira, cum 3000 egressus, Carschenam quum pervenisset, permagnam praedam inde abduxit. Redux, pro-

\*) i. e. Charshanam, urbem ditionis Graecae prope Malathiam. Lass.

ptera quod Romani omnes angustos exitus interceperant, cum 100 tantum ex servis suis evasit. Reliquos Romani partim occiderunt, partim vinctos cum praeda recuperata reduxerunt, multis insuper equis, armis et numis, qui Siphoddaulæ, filii Hamdani fuerant, potiti. Nobilium, qui cum eo (militaverant), simul occisi sunt, Hamed, filius Namusi, Mususia Chan et Cadi Abu-Hozain.

Anno 350 Arabum magna Arabum caterva, Antiochia Tarsum profecta, in Romanorum insidias incidit, qui ex iis aliquos occiderunt, reliquos magnam turbam vinctos abduxerunt. Indignati sunt Arabes, ideoque servus Siphoddaulæ, Naga, irruptione a latere Miphtractæ in Romanorum regionem facta, magnam prædam cum 2000 hominum, et in his 50 catenis vinctos abduxit.

Anno Graecorum 1274, Arabum 351, Nicephorus domesticus, cum 100,000 equitum in Ciliciam profectus, Anazarbam obsedit gravique bello vexavit, donec qui intus erant Arabes, de auxilio desperantes, pacti, ut si arcem traderent, incolumes cum facultatibus exirent, fide a Nicephoro accepta, maxime quod videbant, hostes a montis latere murum brevi perrupturos, portas aperuerunt. Nicephorum, quum ingressus vidisset, parum abfuisse, quin gladii ope sine molestia aperiret (urbem), poenituit promissum. Itaque edixit, ut in oratorium templum omnis populus congregaretur et quicunque non introiret, sanguine poenas lueret. Insequentie die pedites mane in urbem intromissi, quemcunque invenerunt, viros, mulieres et pueros, trucidarunt. Tum comportari arma in urbe coepit. Inventa sunt 40,000 loricarum praeter gladios et arcum magnum numerum. Palmarum arborum 40,000 succisa sunt. Exire deinde omnes, qui in templo erant, iussit, et quorsum vellent, abire, mortem minatus omnibus, qui ad vesperam remanerent. Exeuntes adeo se compresserunt, ut multi eorum, viri, mulieres et liberi ea compressione perirent. Multi in via mortui sunt. Qui autem remanserunt, quorsum tenderent, ignorabant. Nicephorus templum evertit et duos urbis muros nec non aulas destruxit. Duobus et viginti diebus, quibus in Cilicia commoratus erat, Nicephorus 55 arces cepit, partim vi, partim ditione. Quam ex arce quadam, quam domini eius fide accepta tradiderant, mulieres Arabes egrederentur, et in has Armeni quidam irruerent, mariti earum zelo correpti,

gladios strinxerant. Nicephorus Arabibus, qui gladios strinxerant, iratus, 400 viros et mulieres multas occidit. Quia ieiunium quadragesimale appropinquaverat, Nicephorus cum suis Caesaream abiit, post festos dies redditurus. Tarsensis Arabum dux, coactis 4000, adortus Romanos victus et non ipse tantum, sed omnes etiam Arabes et frater quoque Tarsensis ducis, Bar-Rababi, occisi sunt. Romani, iterum Ciliciam ingressi, expugnarunt arcem Ziz et praesidio non ei tantum, sed reliquis etiam arcibus imposito, profecti sunt Halebum. Opposuit se Siphodaula Romanis, sed victus est. Ceciderunt etiam omnes Hamdani filii et ipse Siphodaula cum paucis tantum caedem effugit. Subegit Domesticus aulam eius, quae extra urbis murum sita erat, ab eaque non tantum 390 argenti talenta, sed etiam 2400 mulos et armorum infinitum numerum exegit. Aula incensa, urbem ipsam oppugnavit, in cuius muro quum aperturam fecisset, Romani transgressi caedi non prius finem fecerunt, quam defatigati erant. Invenerunt in ea 1200 Romanos vinctos, quos in libertatem restituerunt. Plus quam 10,000 pueroram et puellarum abduxerunt et praedae tantum, quanto ferendo pares erant, asportarunt. Quod reliquum erat, combusserunt. Invenerunt lacus oleo olivarum plenos, quos aqua impleverunt, ut oleam omne supernataret et deinde in terram effusum corrumperetur. Tempa everterunt, quibus destruendis Romani novem dies absenserunt. Quum in eo essent, ut abirent, obstitit sororis filius regis Romani, Nicephorum in bellum secutus, „Non discedimus,” inquiens, „donec arcem aperuerimus.” Nicephorus, qui adversari non posset, „En,” aiebat, „arx ante te est; abi, ut capias.” Hic regis sororis filius vix arcis portae appropinquaverat, quum quia lapis ex apertura super arcis porta contra illum projectus apud eum deciderat, aversa facie fugit. Tum aperta porta Dailamita quidam, nomine Bascha, fugientem secutus, hastam inter humeros eius ita adegit, ut per pectus exiret, et hoc modo interemis. Reversi eius socii cadaver ad Nicephorum retulerunt, qui mortem filii sororis regis ulturus 1200 Arabibus, qui vinci apud eum custodiebantur, capita abscindi iussit; quo facto in terram Romanorum rediit. In vicis Halebi omnino nihil corrupti, imo agrestes ita commonuit: „Ne cessate ab agricolatione; nam nostra est haec terra; brevi ad vos redibimus.” Hoc tempore iterum mille pedites

Armeni, in agrum Edessenum irrumperentes, 1000 oves, 500 tauros et 10 viros Arabes abduxerunt. Hisce temporibus quum Romani Arabibus praevalerent et diripiendo omnia usque ad Armeniam maiorem pervenissent, Armenorum illi, qui metu, ne ab Arabibus, propterea quod Christiani essent, vexarentur, au-fugerant, in fines Romanorum se contulerunt. Romani dederunt illis Sebastiam in Cappadocia, unde, quum numerus eorum valde auctus esset, miserunt, qui arcibus ab Arabibus captis praesidio essent. In omnibus expeditionibus hi quoque Armeni pedites cum Romanis exierunt, prospere plerumque praeliantes. Nicephorum domesticum cum Romanorum copiis a Halebo reversum, quum Simandoam pervenisset, nuncio de morte regis allato, omnes viri principes cum Schumuschchigo unanimi consensu anno Graecorum 1275 pronunciaverunt regem et servum eius Schumuschchigum domesticum. Hoc ad bellum cum Arabibus gerendum dimisso, ipse Constantinopolin ingressus in regno confirmatus est. Schumuschchig Mopsvestiam per 7 dies obsedit et quamvis plus quam sexaginta locis murum perfodisset, ingredi tamen non potuit. Itaque agrum eius et agros Adanae et Tarsi incendit. Mopsvestenis 5000 virorum Tarso auxilio venerunt, sed Romani obviam facti eos omnes occiderunt; quo facto, relicta urbe, discesserunt. In Cilicia magna fames orta est, quam ob rem permulti Arabes Damascum confugerunt. Etiam Halebi, Haranae et Edessae gravis fames fuit. Anno post Domesticus iterum Ciliciam ingressus Mopsvestiam oppugnavit per tres menses, sed expugnare non potuit; itaque quum morbi et pestilentia copias infestarent, tributo imposito abiit.

Anno Graecorum 1276, Arabum 354, quum rex Nicephorus Constantinopoli Caesaream Cappadociae sedem transtulisset, Tar-senses et Mopsvesteni, misso ad eum legato, ditionem pollicentes, regem ab eo expetierunt. Respondit ille: „Nunc damum quum de regum vestrorum auxilio desperantes canum cadaveribus iam vescimini et pestilentia vos absunit, mihi vos subiicietis (tam diu nempe) donec vires recuperaveritis, ut rebellare positis. Vobis a me nil nisi gladius expectandus est.” Litteris eorum super legati capite ita combustis, ut huius quoque barba comburatur, legatum siecit. Tam fama est quotidie 300 mortuorum lectos e Tarso elatos esse. Rex Nicephorus congregato exercitu

Mopsvestiam obsedit et postquam cepit die Saturni, die 18 mensis Radschabi huius anni, magnam caudem in ea edidit. Quum 200,000 virorum, mulierum et liberorum vincta in terram Romanorum misisset, ad Tarsum oppugnandam profectus est. Cuius cives quum supplices incolumitatem ab eo peterent, pollicentes se portas apertos, misertus eorum promisit, se vitam illis ope-que servaturum. Ingressus urbem principes Arabes multum honoravit, mensae adhibuit et iussos, quidquid opum possent, secum auferre, Antiochiam misit, facta etiam potestate, ut qui-cunque non Antiochiam, sed in alias Arabum urbes ire mallet, quocunque vellet, abiret. Dedit quoque custodes tres patricios, qui ab omni eos iniuria defenderent. Armenis quibusdam, qui nonnullis Arabibus manus intulerant, manus nasosque amputavit, postquam multum flagellis caesi erant. Legatos in omnes vias cum illis misit et omnem dedit operam, ut bona cum pace ad Arabes, socios suos, pervenirent. Templum Tarsense equorum stabulum fecit. Tarso patricium cum 5000 equitum imposuit praesidium. Etiam Massisae alium patricium reliquit. Restituta Tarsus multum florere coepit. Tanta erat in ea annonae abundantia, ut 14 panis litrae una zuza venderentur. Multi ex Arabibus, priscis eius civibus, reversi sunt, quorum aliqui baptizati et Christiani facti sunt, aliqui, quorum tamen liberi omnes baptizabantur, in fide sua perstiterunt.

Anno post rex Nicephorus Amidam obsedit et, quum capere nequiret, Antiochiam multos dies oppugnavit, sed simili-ter capere non potuit; itaque incensis vicis hortisque vicinis abiit.

Anno Graecorum 1279, Arabum 357, Chorasani nonnulli cum 3000 Arabum Antiochenorum in Cappadociam irruperunt, sed 40,000 Romanorum, qui occurserant, permultos Chorasanorum et Antiochenorum tum interfecerunt, tum vinctos abduxerunt. Arabes Antiocheni Patriarcham Chalcedonensium occiderunt et ecclesias Antiochiae multas vastarunt. Romani Sarugum profecti 300 Arabes et multas pecudes abduxerunt.

Hoc anno, orto inter Chorasanos, qui Antiochiae erant et Arabes Antiochenos dissidio, Romani ex regione Antiochena 12 hominum millia, viros et mulieres, pueros puellasque, abduxerunt. Anno post, i. e. 1280 Graecorum, Romani Ceph-

tutam profecti 800 homines cum multa praeda abegerunt. Quum Hamadam habitatoribus vacuam invenissent, igne tectis subiecto, abierunt.

Paullo post Nicephorus, Romanorum rex, Antiochiam obsedit et inde Tripolin perrexit, ubi omnia aedificia extra murum sita combusit. Inde proiectus arcem Gazae bene munitam cepit et magnam numerum vim ex ea egressit. Deinde inter Hamadam et Halebum consedit, ubi duos menses commoratus est. Captivanti et diripienti nemo erat, qui occurseret. Puerorum, puerularumque, qui apud eum vincti erant, 100,000 numerata sunt; inter quos non erat vir senex aut senex femina; nam hos partim occidit, partim liberos dimisit. Nisi mortalitas Romanos invasisset, etiam Halebum et Antiochiam cepisset. Hierosolymam quoque faciem converterat, quorsum tamen, quia milites eius caede patrata defatigati et praeda magna onusti erant, abire non potuit.

Anno 1280, qui est Arabum 359, Romani cum Christianis arcis Lucae prope Antiochiam sitae conspirarunt, convenitque inter eos, ut hi Antiochiam ingrederentur, seque metu Romanorum aufugisse significant atque, donec exercitus Romanorum veniret, ibi remanerent, deinde ad urbem aperiendam manus intrinsecus preeberent. Quod quum hi fecissent, duorum mensium intervallo frater regis Nicephori cum 40,000 Romanorum murum Antiochiae cinxit et tum habitatores arcis Lucae a parte montis adiutores fuerunt, ut Romani Antiochiam introirent et caperent. Magna ibi caede facta, separarunt viros feminasque senes cum parvis statura eosque, quocunque vellent, discedere iusserunt. Virorum vero seminarumque iuenum et puerorum plus quam 10,000 in terras Romanorum miserunt. Halebum etiam 10,000 equitum quum misissent, Halebenses promiserunt, se quotannis Romanis certum quoddam tributum soluturos esse, in cuius rei fidem 800 obsides dederunt. Eo tempore multum bello inclaruit imperator Nicephorus, qui omnes Ciliciae urbes, Antiochiam et Syriam in potestatem suam redigit, quam ob rem omnes Arabum gentes metu percussae sunt. Itaque animo elatus imperatricem Theophaniam, Imperatoris Romanorum uxorem, invitam tamen, sibi coniunxit; neque hac re contentus duos huius filios, Basilium et Constantinum castrare voluit,

ut eorum progenie extirpata, ex se tantum regia proles deducatur. Theophania autem, cognito eius consilio, de filiis suis admodum sollicita domesticum Schumuschchigum, quocum conspiraverat, muliebribus induitum vestibus cum quibusdam aliis iniuriam passis in palatii aedem noctu nativitatis servatoris introduxit et Nicephorum certiorem fecit, se stirpis suae feminas quasdam ad se in ecclesiam vocasse, ut earum secum pernoctantium colloquio uteretur. Hac ratione quam primum imperatorem somno gravatum sentiebat, Schumuschchigus et qui cum eo erant, inducti in lecto eum occiderunt, eorumque, qui palatii portas custodiebant, plus quam 70 interfecerunt. Hanc caedis Nicephori caussam in libris accurate scriptis invenimus; ea autem, quam beatus Mar - Michaël tanquam ab Ignatio Melitenensi acceptam refert, occisum esse ideo, quod in coniugio parum fidelis fuisset, minime veri similis est, quia, eo occiso, neque cum Schumuschchigo, qui post Nicephorum regnavit, neque cum alio quoquam rem habuit.

Anno 360 Arabum propterea, quod inventi erant duo Arabes noctu in templo iuxta coenobium Michaëlis Nestorianorum Mozalanorum sito occisi, Christianos Mozalanos Abu - Thagleb filius Nazeroddaulae 120,000 zuzarum multavit.

Anno 362 Arabum Domesticus cum Romanorum exercitu Nisibin profectus magnam stragem ibi edidit et per 22 dies nihil aliud egit, quam ut captivaret, diriperet et regionem vastaret. Postea quum Amidam tenderet, huius urbis dux militum impetravit a Mozalae praefecto, Abu - Thaglebo, ut magnas copias cum fratre suo mitteret. Romanos adorti victores Arabes fuerunt et Domesticum captum vincitumque, Romanis fugientibus, Mozalam miserunt. Abu - Thaglebus, quo amorem cum Romanis confirmaret, benignissime habuit Domesticum, qui tamen cancri morbo ibi obiit.

Hoc anno populus Bagdalenensis, qui multos Nisibenos in captitatem incidisse, multos occisos esse audivisset, ad iram concitatus magnum adversus Chalifam Motium, ludibrio habitum, tumultum excitavit, quod pro Arabibus certare nolle, et in eius aulam amicosque tela coniecit. Adierunt etiam nobilium quidam Emiram Azoddaulam, Cufae versantem, sollicitaruntque, ut contra Romanos milites mitteret.

Anno Arabum 364, Graecorum 1286, Romanorum imperator Ivan, idem ille Schumuschchigus, Syriam ingressus, Hammadam et Balbecum cepit et quum Damascum profecturus esset, Bar-Zaccath, nobilis Arabs Syrus, scripta ad Damasci praefectum, Phatganum, epistola, consilium ei dedit, ne, quum imbecillior esset, Romanorum regi obsisteret. Obtemperans ille huic consilio imperatori Schumuschchigo obedientiam et 300,000 zuzarum tributum promisit, quo imperator Schumuschchigus contentus fuit. Huic Damasco appropinquanti Phatganus obviam factus equo descendit et terram aliquoties osculatus est. Laetus hac re imperator equum concendere eum iussit multumque honoravit. Iussus deinde, ut coram eo decurreret et militiae specimen ederet, quum decurisset, imperatoris laude motus iterum equo descendit terramque osculatus est. Imperatoris iusu equum concendit et quum ille unius tantum anni tributum exigeret, denuo descendit, terram osculaturus. Imperatori equum, quo vectus decurrerat, gladium et hastam postulanti non haec tantum, sed vestimenta quoque, aromata et decem equos cum multis hastis obtulit; sed imperator istum tantum equum et istam tantum hastam accepit, reliquis redditis, benevolentia eius contentus; imo amicivit Phatganum splendidis vestibus et praeterea operibus auro fabrefactis, vestibus argento tectis et mulis donavit. Inde Sidonem proiectus est, cuius cives obviam egressi se subiecerunt dona offerentes, quapropter iis relictais Beryton duxit, quam vi aperuit et diripuit. Inde Gabalam venit et quia eius incolae resistebant, vi etiam expugnavit. Direpta ea Tarson proiectus est, ubi imperatricis Theophaniae frater venenum ei potandum praebuit, quapropter in gravem morbum incidit et in urbem regiam reversus mortuus est, postquam quatuor annos regnaverat. Hic in agendo strenuus, corpore validus, animo fortis, bello felix erat. Statim a regni initio erga omnes magnatum se praebuit, captivosque dimisit. Constantinopoli magnam ecclesiam aedificavit, multas urbes, multasque regiones subegit. Mortuum principes et plebes mirum in modum luxerunt. Post eum imperatoris Romani filii, Basilius et Constantinus, per 85 annos imperium obtinuerunt vero amore se invicem complexi. Basilius, quia bellicosior erat, Constantino fratre in urbe regia relicto, continuo cum Arabibus bella gessit.

## II. EX ABULFEDAE ANNALIBUS MUSLEMICIS.

(Cf. Tom. II, p. 477 seqq. ed. Reisk.)

Anno CCCLI (qui die 8 Febr. A. C. 962 coepit) occupabant Romani, duce Domestico \*) (Nicephoro Phoca), Ain-Zarba (v. Anazarbum) pacis pacto, paucisque aliquot ibi perentis, plurimos inviolatos dimittebant. Iidem, eodem duce, victoriae instabant, vultum tam benigne monstranti. Halebum impetebant, et ipsa urbe, praeter arcem, potiebantur. Quod ita contigit. Domesticus Seifeddaulam securum, omniumque rerum ignarum derepente obruens, copiis per otium contrahendis excludebat. Correptis igitur paucis, qui aderant, iactabat Halebensis belli aleam, sed, amissis longe plurimis, cum exigua manu in fugam ibat. Sic patebat Graecia omnis ager urbi subiectus, patebat ipsius Seifeddaulae regia, cui nomen erat Daran (seu geminae domus) extra urbis ambitum sita, ubi tercentum argenti utres \*\*) inveniebant, quadrungentos atque mille mulos, armorumque tantum apparatus, ut modum paene excederet. Urbis moenia tum admotis machinis quatiebant; depulsi tamen oppidanorum fortitudine, suaque spe deiecti, proximum in montem, Gauschan, concedebant. Interim incidebat in cives et praetorii peditatum, seu praesidia, ob quasdam in urbe rapinas, seditio, quae moenia defensoribus, in forum concurrentibus, nudabat. Quam videntes Graeci solitudinem et intestinum tumultum, subito adorti, effringunt portas, gladioque in virilem aetatem grassantur; plus decem millia puerorum utriusque sexus asportant, et praedam cogunt incredibilem, cui deferenda quum non sufficerent, quae praesto aderant iumenta, igni dant quae auferre nequibant. Decimo ab ea victoria die receptui canebat Domesticus et gravem praeda exercitum deducebat per agrum Haleensem, pagis par-

\*) Ipsi imperatori Nicephoro Phocae tribuit Cedrenus occupationem Anazarbi p. 664, D; e quo patet Abulfedam temporum ordinem turbare; Cedrenus haec anno Nicephori Phocae imperatoris secundo adscribit, qui in A. Chr. 964 incidit. R. Cum Abulfeda tamen consentit Bar Hebraeus; vid. supr. p. 12. L.

\*\*) Uter argenti continet decies mille nummos argenteos. A.

cens, iussis tantummodo colonis serere et colere; altero anno se redditum et fruges comportaturum esse.

l. l. p. 479.

Eodem anno expugnabant Graeci arcem Dalue, aliasque tres circum arces.

Eiusdem anni decimo mense auferebant iidem captivum ex urbe Manbeg, cui praerat, Abu - Ferasum Haretum, filium Saidi, filii Hamdani. \*)

l. l. p. 481.

Eodem anno (i. e. CCCLII, qui die 29 Ian. A. Chr. 963 coepit) occiderunt Graeci suum imperatorem (Romanum iuniorem) eique alium subrogarunt. Tum filius Schemeschkik (Tzimisches) evasit Domesticus. \*\*)

l. l. p. 483.

Anno CCCLIV (qui die 6 Ian. A. Chr. 965 coepit) Romanus imperator (Nicephorus Phocas) corona cinxit et tandem expugnavit Masisam, die Saturni, decimo tertio septimi mensis, et posteaquam gladio in incolas desaeviisset, parcebant reliquis et captivos secum in ditionem suam rapiebat. Ducenta fere millia hominum numerabat urbs. Inde petiti Tarsenses se submittebant et, incolumitate precibus impetrata, emigrare iussi sunt. Terra marique emigrantibus prosecutores, a quibus in tuta loca deducentur, a Romano usque ad Antiochiam additi. Tarsi fanum tunc in stabulum abiit, suggestus in ignem; urbs aliis incolis et

\*) Cf. Elmacinum p. 223 et 224 (interpret. Lat. p. 278 et p. 280.) qui septenrem fuisse captitatem Abu - Ferasi ait, et anno demum 355 solutam, quem permutatio captivorum Romanos inter et Muslemos institeretur. Memorat Cedrenus p. 637 aliquem Chabdani, vel rectius Chamdani, h. e. Hamdanidae Seifedaulae affinem, quem Ἀχολασάνη appellat, captum et Constantinopoli productum in triumpho fuisse. Diversus est a nostro Abu - Feraso, de cuius captitate Graeci, quantum novi, non memorant. Illius, quem laudat Cedrenus, nomen est Abu'l - Aschajer. Genealogiam eius non constituerim. Elmacinus eum appellat Abulassjirum, filium Haseni, vicarium Seifedaulae, scilicet in arce Tel - Patric eumque in carcere Constantinopoli periisse ait. R. Quadriennem captitatem Abu - Ferasi fuisse, auctor est Abulfeda p. 497; cf. praeterea de Abu - Feraso quae annotant Cl. Freitag ad Sel. ex hist. Hal. p. 138. 139. L.

\*\*) Confundit noster h. l. tempora et homines. Debuerat dixisse: anno 360 (Christi 969) peremptus fuit Romanus imperator (Nicephorus Phocas) et qui hactenus Domesticus fuerat, Ioannes Tzimisches, in eius locum successit. Nam Romanus, Nicephori antecessor, iamdudum fate suo decasserat. R.

novis aedificiis atque munimentis instructa. Dein redibant quidam paulatim ad pristinas sedes, alii prorsus non excesserant, Christianam fidem professi. His rebus gestis redibat Romanus Constantinopolin.

I. l. p. 487.

Anno CCCLV (qui die 27 Dec. A. Chr. 965 coepit) excurrebant Graeci in agrum Muslemicum. Primus impetus Amidam perculit, tum missa facta eius obsidione, Nisibinam; inde transgressi e Mesopotamia in Syriam, diu haerebant circa Antiochiam; tandem Tarsum repetebant.

Eodem liberabat Seifeddaula suum affinem, Abu-Ferasum Hamdanidam, e vinculis, facta captivorum permutatione, per quam Muslemorum ingens multitudo libertatem recuperavit.

I. l. p. 503.

Interea dum Mesopotamiae domini hunc in modum intestinis bellis ipsi sese lacerant, via patebat Romanis per Syriam usque ad Tripolin. Arcem Erach expugnabat eorum imperator. Inde tendebat Emessam, quam incolis vacuam facillime nactus (advenientis terrore patriam deseruerant), iniectis ignibus pervastabat. Ab ea excursione redibat ad tractum maritimum, quem rapinis et populationibus desolabat, et octodecim suggestus (et totidem fanis maioribus) eiiciebat. Postquam duo menses incubuisset Syriae, abibat domum praeda gravis et captivis numero haud facile complectendis.

Anno CCCLIX (qui die 13 Nov. A. Chr. 969 coepit) rursus invadabant Romani Syriam, et Antiochia violenter expugnata caedibusque et rapinis pervastata, Halebum petebant, quam Corubeh \*) tanc tenebat, Seifeddaulae mancipium, heri filio, Abu'l-Maalio Scharifo extortam, ut modo diximus. Hic in arcem se receperat, urbe hosti permissa. Obsidione ad temporis aliquod tolerata, pactus Corubeh certum annum tributum pro Halebo et agro circa, Romanos avertebat, sumtis secum obsidibus abeuntes. Ita locus factus Muslemis ad pristinas sedes revertentibus. Iuris Halebensis autem tum erant hae praeturae, Hamata, Emessa, Cafar - Tab, Maarra, Apamea, Schaizar et his interiecta loca.

\*) In excerptis ex historia Halebi infra exhibendis scribitur hoc nomen Carghujah; quod, nisi fallor, recte se habet; omissis enim punctis diacriticis, quibus distinguuntur litterae Ghain et Ye ab Ain et Be, facile corrumphi potuit nomen illud in Corubeh. L.

In Armenia quoque Graeci Malazcardam \*) oppugnabant. Ut paucis complectar, totus ille tractus Syriæ maritimus, et quæ circa Euphraten, patebant Graecorum libidini, nemine neque hostem arcente, neque terras tuente, præsidiis et rectore nuda s

l. l. p. 507.

Deus tamen afflictis Mualemis præsidium aderat et liberator e tantis angustiis. Ille enim ipse Romanus imperator, quem hactenus in Muslemicam ditionem adeo saevientem vidimus, qui spe atque cupidine totam Syriam iam devoraverat, qui orbem fidelem terrore sui compleverat, hoc ipso anno muliebribus insidiis occubuit. Erat ille Nicephorus, qui sublatu decessore suo rege, uxorem eius in matrimonium duxerat stirpe ortus non regia, idque animo agitabat, ut superioris thori masculam prolem exsecaret, quo suae regiam dignitatem perpetuam assereret. Sed indignum et intolerabile facinus detestata et impedire nitens puerorum mater conspirabat cum Domestico in viri caedem, structo in hunc modum dolo. Conscios, Domesticum puta et eius amicos, habitu muliebri deformatos, de nocte in sacellum aliquod, Nicephori cubiculo proximum, introducebat; et tyranno profundum stertente, foribusque obseratis, ipsa surgens per eam portulam intromittebat percussores, per quam e cubiculo aditus ad sacellum patebat. Itaque aggressus dormientem Nicephorum iugulabat Domesticus, deus autem eius ministerio quietem populo suo a molestissimo vexatore præstabat. Domesticus inde unum ex Imperatricis filiis, e priore matrimonio, et genuino sanguine regio creatum, Augustum nuncupabat. De cetero Domesticus is appellatur, qui regionum Byzantinarum cis Hellespontum in orientem porrectarum curam gerit.

l. l. p. 511.

Anno CCCLXI (qui die 23 Oct. A. Chr. 971 coepit) invadabant Graeci Djeziram (i. e. Mesopotamiam) Edessam, Nisibinam, caedibusque grassabantur et rapinis; contra quos auxilium implorantes Bagdadum confluebant extores Muslemi. Quod in

\*) Malazcardæ oppugnationem Elmacinus p. 280 ad annum 353 refert. Nam quod ibi bis legitur *regio Kerdæ*, vitiosum est et Malazcard reponendum. Forte conciliari possint hi duo auctores, si dicas Romanos hanc arcem, quam anno 353 ceperant, deinceps amisisse, et hoc deum rursus recuperasse. R.

tumultum plebem Bagdadicam concitabat. Perferuntur misericordia querimoniae ad Bochteiarum, Bagdadi supremam Emiram, venatione tum temporis occupatum; qui promptam quidem opem latetur, et hostes finibus exacturum promittebat; ideoque Chalifae necessarios instruendae expeditioni sumtus rogabat, et invitum multumque obluctantem opibus haud contempnendis emungebatur. Vana tamen ista omnia et ad speciem ludibriorumque composita. Queri quidem Motius pecuniam sibi nullam esse; mirari, quare numos a se requirant, cui praeter nominis gloriam et dignitatis in publicis precibus speciem, in facultatibus et auctoritate reliquam nihil ficerint. Si tamen inique secum agere decrevissent, malle Chalifatum eiurare. At ridens Bochteiar frigidam excusationem, graviora et necessitatatem tergiversanti admovendam minabatur. Quapropter coactus Chalifa vendebat supalletilem, indeque coactum aes ad quadraginta millia drachmarum mittebat Buidae. Ille autem tantum aberat, ut eo, quo flagitarat, impenderet, ut, qui expeditionem contra Graecos vel fondo nominaret, auditus nemo ex eo tempore fuerit, sed in necessitatibus deliciisque suis perdebat. Inde iactatum Bagdadi fuit vulgare illud scomma, multatum Chalifam a Bochteiaro fuisse (tanquam inferiorem a petiore, aut sontem a praetore).

l. l. p. 513.

Anno CCCLXII (qui die 11 Oct. A. Chr. 972 coepit) excurrebat Domesticus in tractum Maifarekinae, quem depraedabatur. Huic Muslemos contemnenti et incauto immitebat Abu-Taglab exercitum cum fratre, Hebatalla, qui praelio congressus fudit Graecos, ipsumque cepit Domesticum; quem in vinculis ad fratrem misit. Ea in custodia incidebat Domesticus in morbum, unde periit, invalida medicina, quam Abu-Taglab ipsi adhibebat.

---

### III. EX CEMALEDDINI ANNALIBUS HALEBENSIBUS.

---

Hoc anno (i. e. anno fugae 357) excurrebat agmen Romanorum, tum peditum, tum equitum, ex eis, qui finibus imperii tuendis relictii erant; numero erant V millia. Primum agrum Halebensem petebant. Quos quum aggressus esset Karghujah cum exercitu Haleensi, captus est; ipse quidem paullo post

evasit, copiae autem eius fugatae sunt, multis ex satellitibus Seifeddaulæ a Romanis captis. Deinde Imperator Romanorum Maahrra - Alnohmanam adortus est, oppidoque potitus, fanum maximum et maiorem aedificiorum partem dirui iussit. Eodem modo in Maahrra - Mazrinam saeviebat, vitae tamen incolarum, quorum MCC erant, pepercit, eosque in ditionem Romanam captivos abducendos curavit. Tum aggressus est Caferthabam et Schaizaram, cuius templum combussit, neque aliter Hamatam tractavit; Himza deinde expugnata, omnes qui eo confugerant captivos fecit. Tum Ircatam impugnavit, qua urbe capta incolisque in captivitatem redactis, ad Tripolin usque progressus est; sed quum vidisset, suburbia ab incolis iam fuisse combusta, Djabalam se convertit, qua potitus, Laodiceam duxit. Convenit eum Abu'l - Hosainus Ali - Ben - Ibrahim - Ben - Iusuf - Alfusaiz, quicum pactionem fecit ea conditione, ut obsides ex urbe sibi traderentur; asseruit autem ille, imperatoris se esse cognatum et quum Romanus maiores eius agnovisset, Sardeghum (Strategum) eum creavit; hac itaque ratione incolumes evaserunt Laodiceae incolae. Inde Antiochiam ducens in potestate sua tenuit 100,000 captivorum, puerorum, puellarum, iuvenumque; nam hos solos captivos fecerat, viris et foeminis provectionis aetatis, atque senibus aut interfectis aut dimissis. Dicitur omnino in hac expeditione 18 suggestis \*) potitus esse; vicorum autem quos diripuit et combussit, numerus definiri nequit.

Castris ante Antiochiam positis, neque cum incolis manum conseruit, neque omnino legatum ad eos misit, sed castellum e regione Antiochiae exstruxit, eique præposuit Michaëlem Albordji (Burtzam), cuius dicto audientes esse iussi sunt duces limitanei. Quum rumor inter homines percrebuisse, id consilii Romano esse, ut totam hiemem Antiochiam obsidione cinctam teneret, aliasque mitteret copias Halebum oppugnatum, Karghujah Saahdaddaulæ \*\*) persuasit, ut Halebum relinqueret, ne in urbe obsideretur. (Narrat deinde auctor, Karghujahum, qui Hadjibus, i. e. comes palatii Saahdaddaulæ erat, summam rerum Halebensium sibi arrogasse, urbemque Halebum, arce exstructa, murisque resectis, munivisse, socio regni facto Bacdjuro, cui nomen Emiri inditum sit; imperatorem autem Roma-

\*) I. e. urbis, ubi condita erant templo. L.

\*\*) Filio Seifeddaulæ, de quo supra verba fecimus. L.

norum, hoc auditio, domum reversum esse; factum esse hoc anno 358 mense Muharrem; deinde Saahdaddaulam, sociorum manu collecta, mense Ramadhan Halebum oppugnasse et manum cum Karghujah et Bacdjuro conseruisse; tum pergit:) Scripsit deinde Karghujah ad Romanos et Patricium quendam, qui in finibus ditionis Romanae versabatur, rogavit, ut sibi auxilio veniret. Hic, unus eunuchorum Nicephori, nomine Thorbasi, copias eduxit, tum autem iter Antiochiam versus deflexit propter hanc caussam, quod inter imperatorem Romanorum, quem is, secum ducens captivos et praedam, ut supra traditum est, Bu-kae \*) versaretur, et incolas huius urbis, qui Christiani erant, convenisset, ut hi Antiochiam migrarent, simulantes se metu Romanorum domicilia reliquisse, ita ut istic habitantes Romanis Antiochiam obsidione petentibus ad urbem expugnandam auxilium ferrent. Quo facto consilia cum Christianis Antiochiae incolis coniunxere et Thorbasium certiore fecere, vacuam esse urbem et praefecto destitutam. Incolae autem urbis Muhammedani muros deseruerant et negligentiores erant in urbe custodienda, quum exercitus Romanus ad XL millia, ducibus Thorbasio et Ianiso - ben - Schomeschkik, aggredieretur et Antiochiam obsidione cingeret. Incolae Bukae ab ea quam tenuerunt summi muri parte descenderunt et moenia urbis vacua reliquerunt; tum ascenderunt Romani et urbe potiti sunt. Factum hoc est nocte 13<sup>ma</sup> mensis Deulhidjdae anni 358. Penetrarunt Romani in urbem, combuaserunt et captivos fecerunt, fuit autem nox nativitatis. Quum Romani montem urbis ascendissent, prehenderunt custodes et eis dixerunt: „Laudate et praedicate Deum magnum.” Qui hoc non fecerit, hunc interfecerunt. Custodes itaque proclamarunt: „Magnus est Deus neque Deus est praeter eum.” Qua quidem re impediti sunt incolae, quo minus verum rerum statum animadverterent, donec Romani omnibus turribus potiti fuerint et omnes una clamorem ediderint. Omnes, qui ad portam Aldjeenan (hortum) dictam pervenire properabant, captivi facti sunt. Caterva autem, quae ad portam maris se congregaverat, repulsa removit et hoc modo incolmis evasit.

Romani in monte urbis arcem exstruxerunt et maximum fanum suile fecerunt, posthac tamen patriarcha eo loco pro horto

\*) Ex hoc loco apparet mendose nomen scriptum esse ap. Abulpharag. p. 205, ubi Luca legitur. *L*

usus est. Dein quam Thorbasius Halebum duceret, ut auxilium ferret Karghujah et Bacdjuro, qui ab Abu'lmaahlio (Saahdaddaula) oppugnatione premebantur, Abu'lmaahlius, obediione relicts, primum Chunazereh, deinde Maahrra Cnohman profectus est; Graecos vero eepit cupidio Halebi occupandae; urbem itaque oppugnarunt et a parte septentrionali expugnarunt; quo facto arcem circumsederunt. Tum res ad pactionem venit, hisce conditionibus, ut pro unoquoque locorum, magnorum atque parvorum, quae pacto inclusa essent, solveretur tributum denarii, 16 drachmas Islamicas pretio sequantis; et praeterea e regionibus pactione comprehendendis 700,000 drachmarum quotannis Romanis pendenterent. Urbes Himz, Desijjah, Salmijjah, Hamah, Schaizar, Caferthab, Afamijjah (Apamea), Maahrra'lnohmân, Halebum, Djebal-sumak, Maahrra - Mazrin, Kennisin, Atsareb usque ad limitem palatii, quod Atsarebum attingit et firmum vocatur, (tum universa regio, quae porrigitur) usque ad Arhab, Masufân, Cimar,<sup>\*)</sup> Barzaja et campum, qui prope Ahfas est, a dextera parte limitis: haec omnia permanerunt domino Halebi, cetera Graecis adjudicata sunt, (nimirum tota regio,) quae a Barzaja orientem versus extenditur usque ad fluvium Abu - Solaimân et pylas Sun-jab dictas, tum ad Nafudsam, Awanam et Tel - Hamid et dextram Sadjuri ripam et quidem usque ad alveum fluvii, ubi in Euphraten sese exonerat. Ceterae pacis conditiones hae fuere:

Karghujah, duce (Emiro) Muhammedanorum, qui in hac dignitate permanere deberet, mortuo, res tradendas esse Bacdjuro, quo defuncto ab imperatore Romano eligendum esse ducem ex incolis Halebi; Muslemis autem non esse ius cuiusvis ducis constituendi. A Christianis nullum per hancce ditionem tributum esse exigendum, iis tantummodo exceptis, qui ibi domum aut villam possiderent; si adveniret exercitus Muslemicus, expeditiōnem in nomen Romanum factūrus, defendendum esse a Karghujah hisce verbis: „duc per alias regiones ac nostras; ne intres ditionem pactionis”; sin dux harum copiarum haud pareret, armis esse petendum et vi repellendum; cuius rei sin minus potis esset Karghujah ipse, litteris adeudos esse imperatorem Graecorum et Thorbasium, ut copias mitterent hostibus repellendis pares. Si quid comparissent Muslemi de adventu magni exercitus (hosti-

<sup>\*)</sup> Nomen in codice punctis diacriticis caret, ideoque incertae est scripturae.

lis), scribendum esse ad imperatorēm et ducem copiarum, ut hi, de re certiores facti, rebus suis consulerent. Sin autem expeditionem in terram Muhammedanorum suscipere in animo haberent imperator et dux copiarum Romanorum, obviam eundum esse a Bacdjuro usque ad locum, ubi imperatum ei fuisset; atque Bacdjuro Romanum per ditionem pacis comitante, non fugiendum esse ab incolis vicorum, ita ut emeret exercitus Romanus quo opus ei esset, praeter stramentum, quod pro more bellico nulla solutione facta suppeditandum esset; a duce Muhammedanorum usque ad fines obviam esse eundum copiis Romanis, ut eis praesto esset; quae quum extra fines egressae essent, licitum esse Emiro in ditionem suam reverti. Si expeditionem facerent Romani contra sectam ab Islamo diversam, coniungendum esse exercitum Emiri cum Romano et consociatis armis diunicandum, utut iussus fuerit Emirus. Si quis ex Mualemis religionem Christianam amplexus fuisset, nil contra eum permissum esse Muslemis, neque Christianis permissum esse quid contra quemlibet Christianorum, qui in Muslemicam transierit sectam. Si servus, Christianus seu Muslemicus, vir sive foemina, in eam quam definivimus regionem ex alia aufugisset, haud celandum esse a Muslemis, sed indicandum; tum solvendum esse a domino pretium 36 denariorum pro eo, si vir esset, pro foemina 20 denarios Romanos, pro puerō sive puellā 16; sin autem non possideret (dominus) quo solveret pretium liberationis, a domino solvendos esse tres denarios, quibus ab Emiro acceptis, restituendum esse servum. Si baptizatus esset, qui aufugisset, haud licere Muslemis eum retinere, sed pendendum esse Emiro a domino, quod sancitum fuerit, quo facto, restituendum esse servum. Si quid ex ditione Romana fur rapuisset et fuga se subtraxisset, mittendum esse ab Emiro ad ducem exercitus Romani, ut poenas lueret. Si Romanus regiones Muslemicas visitaret, haud impediendum esse a negotio suo. Si speculator ex ditione Muslemica Romanam intrare vellet, arripiendum esse et in vincula coniiciendum. Haud excidendum esse a Mualemis arcem, nec novam exstruendam; quod autem excisum fuisset, restaurandum esse. Nullum Emirum Muslemicum nec recipiendum esse a Muslemis neque ab illo eorum praeter Bacdjurum et Karghujah litteris esse adeundum. His (Karghujah et Bacdjuro) mortuis haud licere Muslemis Emirum e regione Muslemica accessere nequè ab (aliis) Muslemis auxilium petere,

sed recipiendum esse eum, qui ab imperatore Romano ex ditione pacis electus fuerit. Post mortem Karghujah et Bacdjuri constitutendum esse ab imperatore iudicem (Kadhi) e Muslemis, qui secundum leges eorum ius diceret. Graecis licere destructas in his regionibus ecclesias restaurare; patricios et episcopos, qui ad Muslemos pervenirent, pro dignitate esse accipiendos. Quod autem attinet ad portorium ex ditione Romana exigendum, pactio sancitum est, ut portiores imperatoris cum eis, quos constituerent Karghujah et Bacdjurus una sederent, ita quidem, ut pro mercibus, quae constarent ex auro, argento, sericis Graecis, bombyce rudi, lapidibus, gemmis, margaritis et attalicis aulaeis portorium exigendum esset a portitoribus regis Romani; pro vestibus autem, linteis, pecore et aliis rebus a portitoribus Karghujah, et hoc mortuo, Bacdjuri; denique utroque defuncto pro omnibus mercibus portorium exigendum esse a portitoribus Romanis. Denique constitutum est, ut quum comitatus (mercatorum) ex ditione Romana veniret Halebum profecturus, scribendum esset a praefecto regionum limitanearum ad Emirum, qui quum rem compisseret, homines mitteret, qui eum consalutarent et Halebum comitarentur; si posthac in eum impetus factus esset, Emiri esse restituere quod direptum fuisse; idem esse faciendum, si in comitatum impetus factus esset a tribu Arabum Scenitarum aut Muslemis in ditione Emiri.

Iararunt in hasce conditiones multi urbis senes una cum Karghujah et Bacdjuro, obides autem Romanis traditi sunt ex incolis Halebi Abu - Alhasan - ben - Abi - Asamah; Kesri - ben - Kosur; filius sororis Ebn - Abi - Ihsa; frater Abu' - Ihsani Alhaschshab; Abu' - Ihsan - ben - Abi - Thaleb; Abu' - Ithajjeb Alhaschemi; Abu' - Isaradj Alahththar (Aromatarius) et Iumn, satelles Karghujah. Conciliator huius pacis fuit vir Haschemita, incola Halebi, nomine Thaher.

Dein Romani Halebo abierunt et retinuit Karghujah praefecturam suam; res administrabant is et satelles eius Bacdjurus. Factum est hoc mense Zafaro anni 359.

(Narrat deinde auctor, Karghujah et Bacdjurum postulasse ab Abu' - Imaahllo (Saahdaddaula), ut partem tributi, quod regionibus Muslemicis impositum fuisse, solveret; quod quum recusasset, Himzam oppressam fuisse a Graecis. Posthac Bacdjurum anno 364 in vincula conieccisse dominum suum, Karghujah, summaque rerum esse potitum; quod quum audivisset Abu' - Imaahlus, Halebum duxisse, urbemque obsidione cinxisse; Bacdjurum autem auxilio vocasse Romanos, qui tamen eum reliquerint, Nicephoro interento; anno denique 367 Halebo potitum esse Abu' - Imaalplium; quae omnia ut aliena ab historia Byzantina in transcursu tantum indicare volui. L.)

---